

Sed cesset altis condita nubibus
Echo, sonoris Organa lingulis
 GRAVNEGGIANÆ provocabunt
 Continuo PIETATIS Echo;
 Aræque sanctæ lamina, plurimo
 Prædites argento, veteres Scopæ,
 Laboriosi, Mentorisq;
 Phidiascos imitata ductus;
 Summique Templi munera plurima,
 Sacrique moles inçlyta Cœnobî
 Cum sumptuosis personabunt
 Te, PIETAS, Plateæ Colossis.
 Verum quid istud pallida MORS mali
 Fecit? quid Vrbi, quid Patriæ tulit
 Ferale fatum, quando sacræ
 Viva silent PIETATIS ÆRA?
 Heu lachymosos ara sonantia
 Edant boatus! heu querulos sonet
 Osanna luctus: VIXIT URBI,
 QUEM PIETAS resonat per orbem.



F E R R U M,
 QVOD ab Igne CanDens VsV sVo spLenDebat,
 Reverendissimi & Illustrissimi Principis JOACHIMI
 FORTITUDO contrita est.

Tibia statua ferrea. Dan. 2.

Cessit heu ferrum lapidi cadenti!
 Cessit heu virtus animosa fati!
 Cessit heu LUMEN Patriæ tenebris!
 Cessit & atris
 conglomeratis
 Nubibus, cheu!
 æmula cœli
 Fortitudo, condolente
 Patria de funere.

O quis